










BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

BREVIS DISPOSITIO CONCIONUM, QUÆ IN TRIBUS DIEBUS, PUBLICARUM PRECATIONUM 27, 28, Februarij, & 1, Martij, Ecclesiæ proponentur.

Ad usum Ministrorum verbi scripta

A

PAULO MATTHIA.



HAFNIAE
Imprimebat Andreas Gutterwitz.
Anno 1581.

MACARIVS.

Si fuerint Dæmones robuſtis montibus fortitudine pares, tanquam ab igne cera, comburentur ab oratione.





CONCIO PRIMÆ DIEI.

LVCÆ 13.

ADerant quidam eodem tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ſacrificijs eorum, Et reſpondens, dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paßi ſunt? Non, dico vobis: Sed niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

Aut ſicut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos, putatis quòd & ipſi de-

bitores ſuerint, præ omnibus hominibus habitantibus in Hieruſalem? Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiã egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

Dicebat & hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce, anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficu hac, & non inuenio: ſuccide illam, ad quid vel terram occupat? At ille reſpondens, dixit illi: Domine, ſine illam & hoc anno, donec fodero circa illam, & miſero ſtercus: Et ſi quidem fecerit fructum: Sin minus, in poſterum ſuccides eam.

EXOR-



TRiſtis admodum eſt querela Ieremiæ, cap: 5. de hypocriſi Iudæorum ſui temporis, cum extrema impœnitentia coniuncta, DOMINE inquit, oculi tui fidem reſpiciunt: Tu percutis eos, ſed ipſi non ſentiunt dolorem: Affligis eos, ſed non emendantur: Duriores ſaxis ſunt facies eorum, & nolunt conuerti. Quod ſi noſtræ ætatis mores examinemus diligentius, non minus de ſimulata multorum ſanctimonia atq; miſeranda impœnitentia, etiam hoc die, conqueri licebit. Quotuſquiſq; enim eſt, qui diuinis vel commi-nationibus vel pœnis admonitus, ſeriò cogitat iuſtiſſimam ac ſeueriſſimam iram Dei aduerſus peccatum? Quotuſquiſq; vel publicis vel priuatis, alienis vel proprijs calamitatibus ita emendatur, vt ſe-

ria se pœnitentia, ad Deum conuertat? Percutit quidem nos Deus, sed nullum sentimus dolorem: Affligit nos, sed pauci admodum, proh dolor, emendamur: vsq; adeò facies nostræ obduruerunt, vt nullus omnino emendationi locus, iam amplius relictus videatur. Quis iam meminit Suetici belli miserias? Quis amplius cogitat nouam illam stellam, ante annos octo, integrum annum, in cœlo lucentem? Quem mouent rubentes istæ aquæ, paulò antè passim conspectæ? Quem terret horribilis iste Cometa, ante triennium, hoc ipso anni tempore apparens? Nuncius, sine dubio, ingentium malorum, quæ deinceps cùm in Ecclesiastico, tùm Politico, & Oeconomico statu sunt subsecuta, Miserandæ confusiones in Religione, Tristissima Ecclesiarum dissidia, seditiones, bella, magna rerum omnium caritas, sæuissimæ tempestates, tristissima

ma

ma incendia, grauiſsima lues peſtifera, quæ non ſolùm hîc, ſed & alibi paſsim, latiſsimè eſt graſſata, cuius reliquiæ pluribus adhuc locis cernuntur. Hæc quis neget manifeſtiſsima iræ diuinæ & imminentium pœnarum eſſe ſigna? Verùm Deus, qui tardus eſt ad iram, longanimis & multum miſericors, qui non ſubitò, ſed lento gradu, ad vindictam procedit, rurſus nouam facem, alium Cometam, certiſsimum iræ ſuæ indicem, non ita dudum accendit, quem mox ſecutus eſt morbus iſte Epidemius, qui vno eodemq́ ferè tempore, per omnes Regiones, ditiones, ciuitates, pagos, virus ſuum peſtiferum latiſsimè diffudit, nec vlli, vel ſtatui, vel ætati, vel ſexui pepercit, ſed omnes ex æquo infeſtauit, Reges, Principes, nobiles pariter ac ignobiles, tàm ciues quàm ruſticos, docentes ſimul ac diſcentes, Ex quibus nonnullos etiam è

medio ſuſtulit. Sic Deus non ſolùm terribilem Cometam, veluti virgam aſperrimam, minitando nobis oſtendit, ſed ſimul etiam egregiè morbo peſtifero ac planè inuſitato nos caſtigat.

Et tamen maxima multitudo hominum, ſecurè hæc contemnit, neq; vllis vel comminationibus vel pœnis, ad vitæ morumq; emendationem commouetur, ſed furenter peccata peccatis cumulat.

Rex autem noſter Clementiſſimus, pro ſingulari ſua Pietate, verè hiſce tam apertis ire diuinæ ſignis afficitur.

Cogitat non ſolùm, quæ ſuperioribus annis vidimus manifeſtiſſima iræ diuinæ ſigna, ſed etiam, qui hiſce diebus conſpectus eſt, Cometam terribilem, Et quem omnes ferè ſimul experti ſumus morbum grauiſſimum, certiſſimos iræ diuinæ ac imminentium pœnarum Præcones.

Cogitat

Cogitat Exempla vicinorum Regnorum, & Prouinciarum, quæ vt antea erant florentissimæ, ita nunc, proh dolor, sunt afflictissimæ, vbi bellis, seditionibus, proditionibus, rapinis, mutuis dissidijs, omnia sursum atq; deorsum miserè feruntur, Cuiusmodi pœnas, etiam hisce Regnis, propter scelera & iniquitates nostras imminere, piè cogitat, nisi maturè resipiscamus.

Quare causis tam grauibus ad luctus Pijssimus Rex, seriò mandauit, tribus hisce diebus, per vniuersum Regnum, publicas preces fieri, vt diligenter perpendentes pericula, nobis ac toti Regno imminentia, seriò cogitemus de vitæ emendatione, atq; sic cum Niniuitis, vera non simulata pœnitentia, nos ad Deum conuertamus, animisq; ac precibus coniunctis, ad præsentes atq; imminentes calamitates, quas iustissima ira diuina no-

bis minari videtur, deprecandum conue-
niamus.

Hæc licet prolixius fortè, neceſſariò tamen, initiò admonenda duxi, vt moti vrgente neceßitate, ac perſpecto tam graui Optimi Regis noſtri conſilio, in hiſce precationum diebus ordinandis, maiori nos ſtudio exuſcitemus, vt omni hypocriſi, ac ſecuritate, quæ multorum animos occuparunt, ſepoſitis, ſeriò magis, cùm ad ſacras conciones diligenter & attentè audiendas, tùm ad preces noſtras, pio ardentiq; pectore dicendas, triduum hoc conueniamus. Filius Dei, qui ſedet ad dexteram Patris, interpellans pro nobis, Excitet in nobis ſpiritum illum precum, noſtraſq; preces, quas in nomine eius, veris gemitibus fundimus, ſua apud Patrem interceßione iuuet, vt in nomine eius clementer exauditi, Ipſi cum Patre & Spiritu ſancto æternas gratias dicamus, Amen.

Nunc

Nunc ad textum ipſum, quem antea ex Luca recitaui, Deo adiuuante, accedamus, vnde tres potiſsimùm doctrinas deſumemus.

1. Peccata ex vitæ præſentis calamitatibus, ſemper æſtimanda non eſſe.

2. Quid ex aliorum malis & rebus aduerſis, nobis diſcendum ſit.

3. De longanimitate Dei, qua nos ad Pœnitentiam inuitat.

DE PRIMA DOCTRINA.

CVm homines naturali luce intelligerent, delicti & pœnæ rationem, quandam eſſe debere, factum eſt, vt eos ferè, quos viderent afflictiſsimos, etiam ſceleratiſsimos eſſe iudicarint. Deus enim, vt omnes homines inexcuſabiles redderet, hoc omnium animis infixum voluit, calamitates & multiplices ærumnas, pœnas

nas esse peccatorum, & iræ diuinæ testimonia, vt aliorum calamitatibus moniti, vitam modestius instituere, seq; in officio continere discerent, ne & ipsi aliquando, seuerum ac iustum Dei iudicium experirentur. Hinc illud est: Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos. Et statuæ Senacherib inscriptum fuit: In me aliquis intuens, pius sit.

Quod quidem etsi longè verißimum sit, tamen in eo non parum erratum est, quòd quô quisq; grauiore calamitate esset oppressus, eô etiam habitus sit sceleratior, quemadmodum patet ex disceptatione amicorum Iob. Et Lucas narrat Actor: vltimo, Melitenses similem de Paulo persuasionem concepisse, quem homicidij, quod crimen maximè semper fuit detestabile, insimularunt, ideoq; postquam tanta maris pericula superauerat, diuinitus iam ad pœnam trahi, eò quòd vipera,

ex

ex igne prosiliens, manum eius inuaserat. A quo errore parum abfuisse Christi discipulos, ostendit narratio, quæ est Ioh: 9. de Adolescente cæco nato.

Nec dubium est, hosce Iudæos, simili errore fascinatos fuisse, qui hæc nunciarunt Christo, de Galilæis, tam immaniter à Pilato trucidatis, quasi & illi, præ reliquis Galilæis, tàm crudele mortis genus commeriti fuissent. Verùm Christus, licet Galilæos istos, à crimine nequaquam liberet, vt qui iustas motæ seditionis, legibus poenas dederunt: Tamen hoc Iudæorum erroneum iudiciu i corrigere studet, quo, crudelitate supplicij moti, eos præ reliquis Galilæis, peccatores æstimarunt, ideoq; comminatione addita, non minus atroces poenas, nisi maturè resipiscant, eis metuendas esse denunciat. Vtq; hæc tam seria comminatio, altius eorum animis insideat, addit Christus etiam

alterum Exemplum, de octodecim illis hominibus, quos turris in Siloa (quod fontis, ſeu Piſcinæ nomen erat in Hieruſalem, cuius meminit Eſaias cap: 8. & Ioh: cap: 9.) repentino caſu oppreſsit, eadem comminatione repetita: *Niſi poenitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*, non eodem quidem genere mortis, ſed non minus crudeli & inopinato.

Hanc tam ſeriam Chriſti comminationem, aſsiduè cogitemus, ne vel nobis, in rebus noſtris proſperis blandiamur, vel alijs, rebus aduerſis laborantibus, ſuperbè inſultemus, néuè erroneo multorum iudicio, peccatorum modum, ex vltionis modo æſtimemus. Nam vt maximè verum ſit, atrocia delicta, atrocibus poenis etiam in hac vita diuinitus puniri, ac poenas ipſas, delictis ſæpe reſpondere, iuxta illud Sapientiæ 11. *Per quæ quis peccat, per eadem punitur*: tamen certum eſt, Deum

non

non æqualiter, quas quisq; meritus est pœnas, in hac vita exigere.

Nam vt iudicium à domo Dei incipit, 1. Pet. 4. ita vt plurimùm, arcano suo consilio, res huius vitæ, ordinare solet diuina sapientia, vt pij, varijs tentationum atq; ærumnarum generibus exerceantur, dum impij, omni bonorum genere affluentes, securè interim peccatis suis indormiunt, id quod omnium temporum historia testatur. Quæ res etiam in piorum animis, magnos æstus sæpe excitat, quemadmodum docet Psal: 72. Ierem: Cap: 12. Habac. Cap: 1. Atq; hæc de prima doctrina.

DE SECVNDA DOCTRINA.

ALtera doctrina est de fructu, quem ex aliorum malis percipiemus, vt videlicet

*delicet ex hac grauissima Christi commi-
natione, discamus singulas aliorum cala-
mitates, nobis esse debere, veluti spectabi-
les conciones, quibus nos ad poenitentiam
Deus vocat. Vbi enim audimus, aut vi-
demus aliquod diuini iudicij specimen, sci-
amus Dominum clamare, vt de se quisq;
cogitet, oculosq; in proprium sinum, quod
dici solet, deijciat, vt agnita propriorum
scelerum foeditate, metuat iustissimam
Dei iram propter peccata, ac certò statu-
at, se quoq;, modò in peccatis securus per-
seuerauerit, neq; seria se poenitentia ad
Deum conuerterit, haud leuiores aliquan-
do poenas luiturum.*

*Fertur leonum domitores, catulum
in eorum conspectum adductum, cædere,
cuius clamore, leo territus, sibiq; metuens,
domitori facilius paret.*

*Ad eundem modum, Deus sæpe in-
feriores castigat, vt superiores, in eorum*

Exem-

Exempla intuentes, similes Pœnas metuere discant, immittit leuiores Pœnas, vt grauiores matura Pœnitentia anteuertamus.

Experti iam sumus, morbum hunc Epidemium, grauem quidem illum, sed tamen non ita Diuturnum. Neq; dubium est alium longè grauiorem secuturum, nisi maturè illum deprecati fuerimus.

Audimus quantis nunc malis, vicina regna atq; Prouinciæ affliguntur. Ne quæso, hîc securi, nobis blandiamur, quasi eorum calamitates, ad nos nihil pertinerent, sed cogitemus, iustißimam Dei iram, quæ haud minores calamitates, Cometa recens conspecto nobis minatur, nisi, eorum malis edocti, seriò vitam nostram emendauerimus, veraq; non simulata Pœnitentia, imminentia mala auerterimus. Huc optimè quadrant triti versiculi: Fœlix quem faciunt aliena pericula cau-

tum. Item: Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

DE TERTIA DOCTRINA.

INsignis et attentissimis animis consideranda doctrina est, de longanimitate Dei, ad Pœnitentiam nos inuitantis, quam eleganti admodum similitudine, à Vinitore & ficu desumpta, hîc Christus declarat. Vt enim Vinitor, non statim excindit ficum infrugiferam, sed totum triennium fructum expectat, quo exacto, licet iniquè admodum ferat, arborem sterilem, frustrà terram occupare, iamq; paratus sit, ad eam succidendam, tamen facilè patitur, vt vno deinceps anno fiat periculum, si ex diligentiore cultura, vel tum fortè, fructum aliquem proferat: Eodem modo Deus, quia clemens est & longanimis, tardus ad iram & multum mise-

miſericors, non ſubitò iræ ſuæ fulmen in nos immittit, ſed oſtendit nobis iræ ſuæ ſigna, cùm minitantia tùm punientia, concedit nobis ſpacium ad conuerſionem, nolens aliquem perire, ſed omnes ad Pœnitentiam conuerti. 2. Pet: 3. Et Eſaiæ 30. cap: dulciſſimè dicitur: Ideo expectat Dominus, vt veſtri miſereatur.

Ante triennium, accendit formidabilem iſtum Cometam, iræ ſuæ certiſſimum præconem. Secuta eſt triſtis Peſtilentia, et aliæ calamitates complures. Ecce autem, triennio exacto, nouus denuo accenditur Cometa, cum morbo planè inconſueto coniunctus, conquerens quaſi de vita & moribus noſtris nihil intereà temporis, in melius mutatis. Et ſine dubio, metuendum nobis nunc fuiſſet extremum exitium, niſi filius Dei, qui fidelis noſter eſt Mediator & Pontifex, ſua nobis interceſſione, longius adhuc Pœnitentiæ

agendæ spatium, à Deo misericorde impetrasset.

Grata igitur mente, hanc Dei longaminitatem agnoscamus, nec contemnamus diuitias bonitatis illius ac tolerantiæ lenitatisq;, qua nos ad Pœnitentiam inuitat. Rom: 2. Nec dicamus cum securis istis irrisoribus: Vbi est pollicitatio aduentus eius? 2. Pet. 3.

Caueamus ne longanimitas Dei, omnem iræ diuinæ metum nobis excutiat, quemadmodum grauiter conqueritur Ecclesiastes, cap. 8. Quia non profertur citò contra malos sententia, absq; timore vllo, filij hominum perpetrant mala. Caueamus, ne longanimitate Dei, qua ad Pœnitentiam vocamur, ad profanam securitatem confirmandam, impiè & in nostrum ipsorum perniciem, ac iustam tandem condemnationem abutamur, dum impœniténtes, magis magisq; iustissimam

Dei

Dei iram ſuper nos accumulamus, quemadmodum grauiſsimè docet Paulus, cap: ſuprà citato ad Rom: Cogitemus moram, qua pœnæ commeritæ interdum differuntur, magnitudine pœnæ ſæpe compenſari, ſicuti bene dictum eſt à Valerio, lento quidem gradu, ad vindictam ſui, diuinam iram procedere, ſed tarditatem grauitate ſupplicij compenſare, quemadmodum triſtiſsima Exempla teſtántur, Diluuij, Pharaonis, Iudæorum & aliorum ſimilium. Sed ſemper inſideat animis noſtris, grauiſsima hæc Christi comminatio: Niſi Pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Cumq́; adhuc habeamus tempus miſericordiæ, non nobis blandiamur, vt Auguſtini verbis vtar, Non dicamus: Semper parcit Deus, Ecce feci heri, & pepercit Deus: Facio & hodie, & parcit Deus: Faciam & cras, & parcit Deus. Attendis ad

misericordiam, & non times iudicium. Si vis cantare misericordiam, & iudicium intellige, quia ideo parcit Deus, vt corrigas, non vt in malignitate permaneas. Quomodo autem seria Pœnitentia vitam nostram corrigamus, sequenti concione, Deo volente, discemus.



CON.



CONCIO SECVNDÆ DIEI.

IEREM: 8.

NVnquid qui cadit non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est Populus iste in Jerusalem auersione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat Pœnitentiam super Peccato suo, dicens: Quid feci? OMNES conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium. Miluus in cœlo cognouit

tempus suum: Turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: Populus autem meus, non cognouit iudicium Domini.

ENARRATIO.

AVdiuimus proxima concione, de peccatis hominum, ex præsentis vitæ miserijs, haud temerè, vulgi more, statuendum esse. Sed aliorum calamitates, nobis quasi concionatrices esse debere, quæ ad seriam vitæ morumq́ emendationem, maturé nos excitabunt. Audiuimus prætereà, insignem illam, & consolationis plenißimam doctrinam, de longanimitate Dei, qui vt clementißimus pater, ideo differt pœnas, vt Pœnitentiæ spacium

um

um nobis concedat, de qua hac concione, fauente Deo, nobis dicendum erit, quod vt cum maiori auditorum fructu fiat, concionem in tres præcipuas partes distribuemus.

1. Quid sit, veram Pœnitentiam agere.

2. In quibus vera Pœnitentia consistat.

3. Quæ potißimùm, ad seriam Poenitentiam agendam, nos mouere debeant. De his ordine & breuiter dicemus.

DE PRIMA PARTE.

VT rectius intelligamus, quid sit veram Poenitentiam agere, initiò tres præcipuos hominum gradus diligentius consideremus.

Primus gradus est eorum, qui securi, vt Cain, vt nullo neq; peccati, neq; iræ

diuinæ ſenſu tanguntur, nec vllos veros pauores conſcientiæ ſuſtinent, ita nec de vlla vera reſipiſcentia cogitant.

Secundus gradus eſt eorum, qui vt Iudas, ſentiunt quidem & peccati, & iræ diuinæ propter peccatum, magnitudinem, ſed quia vera fide deſtituuntur, quæ ſola, miſericordiam Dei in Filio oblatam apprehendit, ad ſalutarem Poenitentiam non perueniunt, ſed victi deſperatione, in æternum exitium ruunt.

Tertius gradus eſt eorum, qui vt Dauid, Petrus, agnoſcentes peccata ſua, ſentiunt iuſtiſsimam iram Dei propter peccatum, & seriò exhorreſcunt propter commiſſa peccata, & offenſum Deum, Et tamen non vincuntur deſperatione, ſed firma ſe fide rurſum erigunt, certa ſpe de gratuita Dei miſericordia, per ac propter vnicum Mediatorem noſtrum conſequenda concepta, ac vero propoſito

omne

omne Peccatum in poſterum vitandi, Deoq́ totam ſuam vitam approbandi.

Ex hoc tertio hominum gradu, facile eſt videre, quid ſit veram Poenitentiam agere, nimirum peccata commiſſa, ingenuè ac vero, non ſimulato animi dolore, coram Deo agnoſcere ac confiteri, ſeriò exhorreſcere propter iuſtiſſimam Dei iram, Et tamen non deſperare, vel propter peccatorum, vel iræ diuinæ magnitudinem, ſed in medijs doloribus, certa ſpe atq́ fiducia, ad gratuitam Dei miſericordiam, in ſolo filio, omnibus verè poenitentibus propoſitam, confugere, cum certo propoſito, non ſolùm peccatum, ſed etiam omnem peccati occaſionem deinceps totius vitæ tempore vitandi, vt tota hominis vita, Deo grata ſit & accepta. Hæc in Secunda parte, exemplis paulò latius declarabimus.

DE

DE SECVNDA PARTE.

EX ijs quæ iam dicta sunt, manifestum est, veram Poenitentiam in tribus potissimùm consistere, vera scilicet contritione, firma fide, & serio nouæ vitæ seu Obedientiæ studio.

Contritio vera ea demum censenda est, qua homo peccator, ex vero Peccati & iræ diuinæ sensu, seriò dolet propter admissum Peccatum, & Deum offensum, cuius iustissimam iram metuit, & Peccatum seriò iam odisse ac detestari incipit. Huic contritioni aduersantur duo grauissima vicia, securitas scilicet & hypocrisis.

Securitas est, qua homo peccator, sine vllo vero Peccati ac iræ diuinæ sensu, securus in quæuis flagicia fertur, laxans fræna cupiditatibus, & Peccata

Pecca-

Peccatis cumulans. Talis fuit Caini securitas, qui Deo, de fratre innocenter trucidato interroganti, superbissimè respondit: Nunquid custos fratris mei sum ego?

De hac securitate, grauissimè hîc conqueritur Ieremias, qua vsq; adeo dementantur homines, vt sine vllo vel peccati sensu, vel iræ diuinæ metu, furenter ac cœco quasi impetu, instar equi ferocissimi, in prælium currentis, in omnis generis flagicia ruant.

In hac autem tàm graui Prophetæ querela, tristissima est ista hominis cum reliquis animantibus collatio: Miluus in cœlo cognouit tempus suum: Turtur & Hirundo & ciconia, custodierunt tempus aduentus sui: Populus autem meus, non cognouit iudicium Domini. Qualis est etiam illa Esaiæ, cap. 1. Cognouit bos Possessorem suum, & asinus præsepe

Domi-

Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.

Quid enim, quæso, vel dici vel cogitari potest tristius, quàm cætera animantia, quæ bruta sunt & omnis rationis expertia, natura tantum duce, suis quæq; legibus constantissimè parêre: Solum autem hominem, ad ipsius Dei imaginem conditum, eò deuinire amentiæ, vt absq; vllo metu Dei, omni pietati atq; honestati renunciasse videatur.

Vtinam verò, non etiam hodie complures essent, qui non minus securi, Heluationibus, comessationibus, libidinibus, alijsq; id genus vicijs innumeris indulgerent, qui nullis Diuinis, vel comminationibus vel pœnis emendantur. Vsque adeo corda ipsorum, longa nunc peccandi consuetudine obduruisse, & callum quasi obduxisse videntur, vt nemo ferè nunc sit, qui doleat propter Peccata sua, dicens: Quid feci?

Hanc

Hanc impœnitentium ſecuritatem notat Salomon Prouerb: 2. Lætantur dum malè faciunt, & exultant in rebus peßimis. Et cap: 18. Impius cùm venerit in profundum peccatorum contemnit. Paulus ſignificante voce, tales ἀπηλγηκότας *nominat, Epheſ: 4. Qui iam dedoluerunt, frontemq́; perfricuerunt, ita vt erubeſcere neſciant. Hanc ſecuritatem etiam, Pſalm 90. arguit: Domine quis nouit potentiam iræ tuæ, & quis metuit iram tuam?*

Vt autem impiam hanc ſecuritatem animis noſtris excutiamus, cogitemus.

1. *Grauißimas Dei comminationes: Pſal: 7. Arcum ſuum tetendit, & quam heri audiuimus ſeuerißimam Christi comminationem: Niſi pœnitentiam egeritis &c: aliasq́; complures ſimiles, quibus non temporales tantum, verùm etiam æter-*

nas

nas pœnas, impœnitentibus Deus minatur.

2. *Signa non solùm minitantia, verùm etiam punientia, de quibus etiam heri dictum est.*

3. *Exempla pœnarum, non solum aliena, verùm etiam domestica.*

4. *Tristissimam filij Dei mortem, quæ vel sola, omnem meritò peccandi securitatem, animis nostris eijciat.*

Alterum vitium, quod veræ contritioni aduersatur, est hypocrisis, quando vel non agnoscit quispiam peccatum, vel agnitum non fatetur, sed celat, ac quibuscunq; folijs fici, cum primis nostris parentibus, tegere illud ac celare studet.

Talem fuisse etiam in Dauide hypocrisin, statim post grauissima illa, adulterij & homicidij scelera perpetrata, historia ipsa satis superq; testatur. 2. Samuel. 11.

Verùm

Verùm huic tam magno malo, nullum aliud eſt præſentius remedium, quàm aſpera Legis concio, qua veluti malleo quodam, corda contunduntur, vt omni hypocriſi eiecta, homo in ſeipſum deſcendere, ſuaq́ vicia ac ſordes cognoſcere diſcat, quemadmodum Nathanis concio, ſequenti cap: ad Dauidem habita, luculenter oſtendit.

Secundum, in quo vera Pœnitentia conſiſtit, eſt Fides, quæ eſt firma fiducia, qua homo Peccator, ex grauiſsimis doloribus, ex ſenſu Peccatorum & iræ diuinæ ortis, fortiter eluctatur, certò ſtatuens, abſq́ vlla propriorum meritorum dignitate, gratis tantum propter Chriſtum, peccata ſibi remitti.

Hanc fidem, duo itidem vicia teterrima oppugnant, Confidentia videlicet & Diffidentia.

Confidentia est, qua homo, propriorum meritorum dignitate nitens, filium Dei, cum omnibus suis meritis ac beneficijs contemnit, qualis confidentia cernitur in Pharisæo Euangelico, Lucæ 18. qui propriorum suorum operum iustitia tumens, non agnoscit qualis res sit vel peccatum, vel ira Dei propter peccatum. Quare non sentiens morbi sui grauitatem, medicum facilè contemnit, proprijsq; meritis confidens, se quasi omnium iustißimum, in Abrahæ sinum iam collocatum somniat.

Ad hanc autem Confidentiam tollendam, similiter facit Legis concio, quæ ostendit non esse eam operum nostrorum dignitatem, quæ seuero Dei iudicio opponi poßit. Quare Dauid ardenter orat; Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo, &c. Psal: 143. Et Esaias, communem hanc omnium infirmitatem ingenuè agnos-

agnoſcit, Cap: 64. OMNES nos, inquit, immundi ſumus, ſimiles panno polluto, OMNES iuſtitiæ noſtræ.

Alterum vicium fidem oppugnans, eſt Diffidentia, ſeu Deſperatio, qua homo, magnitudine peccati ac iræ diuinæ oppreſſus, de gratuita Dei miſericordia deſperat, donec tandem in æternum exitium ruat, ſicuti triſtiſsima Caini, Saulis, Iudæ & aliorum etiam noſtræ ætatis hominum, vt Franciſci de Spira, & aliorum exempla teſtantur.

Huic tam triſti malo, ſolum Euangelium remedium monſtrat, Fidem ſcilicet, quæ diuinis promiſsionibus & exemplis, alitur & ſuſtentatur.

Promiſsiones paſsim ſunt obuiæ, cùm in veteri tum nouo Teſtamento. Sed vnam aut alteram breuiter indicaſſe ſatis ſit.

2. Paralip: 30. in pulcherrima illa Ezechiæ Regis oratione; Pius & clemens est Dominus Deus vester, Et non auertet faciem suam à vobis, si reuersi fueritis ad eum.

Ezech: 33. Viuo ego dicit Dominus. &c. De qua promissione diuina, etiam iureiurando confirmata, grauiter inquit Tertull: O beatos nos quorum causa Deus iurat, ô miseros, si nec iuranti Domino credimus.

Pulcherrimæ etiam sunt comparationes, quibus Dauid misericordiam Dei, verè ἀμέτρητον καὶ ἀναρίθμητον pingit, Psal: 103: Miserator & misericors Deus, &c.

Christus quoq; dulcissima Promissione addita, blandissimè omnes ad se inuitat, Matth: 11. Venite (inquiens) ad me OMNES qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Pro-

Promissionibus addantur exempla Nabuchdonosoris, Manassæ, Magdalenæ, Latronis in cruce, Petri, Pauli, & quod omnium maximè est illustre, ipsius Dauidis.

In has Promissiones & exempla intuentes, fidem nostram, imbecillem alioqui ac languidam, aduersus impiam Diffidentiam ac Desperationem confirmemus, certò statuentes nos quoq;, licet magnis ac grauibus sceleribus pollutos, diuinæ gratiæ ac misericordiæ, quæ omnia totius mundi peccata, longè lateq; superat, participes futuros, modò ad eorum exemplum, vera ac seria nos Pœnitentia, ad Deum conuerterimus.

Tertium in quo vera Pœnitentia consistit, Est serium studium nouæ vitæ seu obedientiæ, quo homo, iugulatis peccatis, nouam ac Deo placentem vitam, secundum eius voluntatem, quæ in Deca-

calogo, breuiter ac summatim expressa est, seriò meditatur.

Hoc nouæ vitæ studium, cum vera Pœnitentia necessariò esse coniungendum, plurima scripturæ sacræ cùm testimonia, tum Exempla testantur, quæ vt omnibus notissima omitto. Cogitemus ergo non esse Deo acceptam Pœnitentiam, quam nulla sequitur vitæ ac morum emendatio. Bona arbor, bonos semper fructus profert. Nec potest vera ac viua esse fides, vbi non est piè honesteq; viuendi studium, sed & illam necesse est suum proferre fructum, vitæ scilicet nouitatem. Quare non satis est, ad triduum, Curios simulare, ac toto deinceps anno, Bacchanalia viuere. Sed debet hoc nouæ vitæ studium, in homine pio ac Christiano esse perpetuum, ne postquam semel Peccato renunciauit, rursum in illud ipsum relabatur, sicuti pleriq; (proh dolor) faciunt,

unt, qui postquam inceperunt agere Poenitentiam, mox ad priora vicia redeunt, cuiusmodi Apostolus Sui ad volutabrum, & Cani ad vomitum redeunti comparat, 2. Pet: 2.

DE TERTIA PARTE.

ETsi multa sint, quæ ad seriam Poenitentiam agendam, meritò nos mouere debeant, Nos tamen hac vice, quinq; tantum, eaq; præcipua, breuiter recitabimus.

1. Est Deus ipse, qui non solùm Poenitentiam mandat, sed etiam omnes verè poenitentes, in gratiam recipit. Nulla enim re alia, vt ait Nazianzenus, magis delectatur Deus, quàm hominis emendatione & salute, quod ipsum etiam Ieremias in huius concionis exordio perspicuè

 docet.

docet. Nunquid qui cadit non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? Significans nihil sollicitè magis expectare Deum, quàm vt homines, lapsi in peccata, rursus resurgant: Et qui à vera salutis via longius exorbitarunt, in veram viam redeant, quemadmodum amplißima promißio apud Ezechielem, iam suprà recitata, & dulcißimæ Parabolæ, de oue perdita, amissa Drachma, & filio prodigo, Luc: 15. vt cætera omnia prætercam, satis testantur.

2. Sancti Dei Angeli, qui non minus, quàm Deus ipse, de hominis resipiscentia lætantur, quemadmodum Christus ipse cap: citato, apud Lucam, dulcißimè concionatur.

3. Diabolus, qui cùm Dei & hominum infestißimus sit hostis, omne nostrum studium, in hoc intendere meritò debemus, vt ipsi ægrè faciamus, quod nulla

re

re alia fit melius, quam si seriam pœnitentiam agamus. Eâ enim, vt ad Christi Regnum, noua semper fit accessio, ita Regnum Diaboli, magis magisq; minuitur.

4. Proximus noster, vt alij scilicet, nostro exemplo ad Pœnitentiam excitentur.

5. Tristis ac deploranda cuiusq; nostrum conditio, quàm diu, absq; resipiscentia, peccatis nostris securè indulgemus. Siquidem homo inpœnitens, separatur à Deo, & coniungitur cum Diabolo, fit domicilium, seu verius, fœdissima cloaca, ac miserrimum Diaboli mancipium, à quo, veluti fræno iniecto, ab vno, in aliud Peccatum trahitur: Accersit sibi omnis generis calamitates, quas tandem sequitur morsus conscientiæ, ac postremò, quod omnium est tristissimum, Mors cum desperatione, & abiectio in æter-

æternam damnationem, vnde nulla vnquam ſperanda eſt liberatio, quorum omnium, triſtiſsimum in Saule exemplum, eſt propoſitum.

Hæc ſi diligentius perpendamus, cogitabimus abſq; dubio, & peccati, & iræ diuinæ propter peccatum magnitudinem, vt ſeriò reſipiſcentes, peccatis omnibus renunciemus, vitæq; nouitati ſtudeamus. Quod ſi ſeriò faciemus, habebimus Deum propicium, qui nequaquam nos ad ſe, vera Pœnitentia accedentes repellet, ſed inſtar benigniſsimi patris éxpanſis nos vlnis, obuius excipiet, noſtriſq; miſerijs ac calamitatibus motus, vota noſtra ac preces, per ac propter filium ſuum dilectum, clementer exaudiet. De quo ſequente concione, iuuante Deo, latius dicetur.

CON-

CONCIO TERTIÆ DIEI.

Pſal: 145.


Rope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, Omnibus inuocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.

Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes impios diſperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

ENAR-

ENARRATIO.



Actenus audiuimus seuerissimam Christi comminationem, qua omnibus Impœnitentibus extremas pœnas minatur.

Audiuimus etiam doctrinam, maximè consolatoriam, de longanimitate Dei, qua omnes ad Pœnitentiam inuitat, vt cùm alienis tum proprijs calamitatibus moniti, maturè resipiscamus, agnoscentes peccata nostra, quibus iustissimam Dei iram, aduersum nos prouocauimus, eaq; veris gemitibus deplorantes, nequaquam de gratuita Dei misericordia desperemus, sed vera resipiscentia, à Deo irato, ad Deum misericordem, vt bene monet Augustinus, fugiamus: omniq; hypocrisi seposita, de vita nostra ac moribus in posterum emendandis, seriò cogitemus:

Nihil

Nihil dubitantes, quin ita resipiscentes, aditum iam habeamus ad Deum, tanquam ad clementissimum Patrem, in cuius sinum, omnes ærumnas atq; calamitates nostras, Precibus nostris, sine vllo pudore, audacter effundere liceat, certa spe atq; fiducia concepta, preces nostras nequaquam irritas futuras, sed Deum benignè eas exauditurum, sicuti dulcissima hæc Dauidis concio testatur, in qua tres præcipuæ doctrinæ nobis proponuntur.

1. *Qualis esse piorum inuocatio debeat, vt Deo grata sit & accepta.*
2. *De dulcissimis Promissionibus, quæ piorum inuocationem, minimè irritam futuram testantur.*
3. *De gratiarum actione, quæ, ob præstita nobis beneficia, Deo meritò debetur.*

DE

DE PRIMA DOCTRINA.

DAuid poſtquam primò affirmarat, Deum prope eſſe omnibus inuocantibus, mox ſeipſum quaſi corrigens, ſubiungit, Omnibus inuocantibus eum in veritate. Significans non quamlibet inuocationem promiſcuè, ſed eam ſolummodo, quæ ex veritate proficiſcitur, Deo gratam eſſe & acceptam. Quid igitur per veritatem intelligendum ſit, diligenter cognoſcendum, vt quæ demum inuocatio Deo probetur, rectè intelligamus.

Primum, Veritas excludit omnes opiniones, à vero Deo ac Mediatore aberrantes, qualis legitur illa Hecubæ apud Euripidem: O Iupiter, quicquid es, ſiue hoc Cœlum, ſiue Mens quæ vehitur in cœlo, Talis inuocatio eſt omnium, qui ſunt extra Eccleſiam, qui verum Deum ignorant,

rant, Ideóq; adorant quod nesciunt, Quod ipsum Christus Iudæis obycit. Ioh: 4. Pij autem in suis Orationibus, in eum Deum fidei oculis intuentur, qui est Pater, Filius & spiritus Sanctus, sicuti in baptismo Christi, sese manifestè patefecit.

A Mediatore longè etiam aberrant, quotquot contra verbum Dei, alios extra Christum Mediatores quærunt. Quicquid (inquit) Christus, petieritis Patrem in nomine meo, id est me, tanquam vnico ac vero Mediatore nominato. Et Paulus 1. Timoth: 2. ait vnum esse Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, non Mariam, non Petrum, non Paulum, non deniq; alium quemcunq; sanctum. Et tamen hic error, quod dolendum est, in multorum animis, etiam hoc die, ita altas egit radices, vt nullo modo inde euelli poßit.

Deinde,

Deinde, Veritas opponitur Hypocrisi, quæ non agnoscit propriam immundiciem, sed sine fide, & sine pœnitentia accedit ad Deum. De hac inquit Deus ad Esa: 29. Populus iste appropinquat ore suo, & labijs suis glorificat me, Cor autem eius longè est à me. Debet autem vera inuocatio proficisci ex veritate, id est, ex veris & ardentibus motibus cordis, sicut Christus inquit apud Iohannem, 4. Veri adoratores, adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. In Spiritu, id est, Spiritu Sancto, mouente corda nostra, & accendente veram fidem in cordibus, intuentem Promissiones Dei, & in ijs acquiescentem, sine qua verè Deum inuocare nemo potest. Quemadmodum docet Paulus ad Rom: 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quicquid autem non fit ex fide, peccatum est, Rom: 14. Quare nulla eorum statuenda

est

est inuocatio, qui semper vino madentes, porci Epicuræi, sine vllo vero cordis motu, ad orandum accedunt, Ad quod opus, tanquam maximè arduum & difficile, vera abstinentia, ac pia præparatio, necessariò requiritur. Nec multùm absimilis eorum censenda est inuocatio, qui sine omni mente ac meditatione, preces suas recitant.

Postremò, Veritas opponitur Securitati, & omnibus prauis ac viciosis affectibus, cum lege ac voluntate Dei pugnantibus, quibus vera inuocatio corrumpitur. Vbi enim nulla est seria resipiscentia, sed homo securus peccata peccatis cumulat, & polluit se manifestis sceleribus, quibus conscientia miserè sauciatur, Ibi nulla vera esse potest inuocatio, quæ Deo placeat, imò Deus extremè eam odit & detestatur, quemadmodum ipse testatur apud Esa: 1. Etiamsi extenderitis

manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

Hîc iam suas quisq; manus diligenter intueatur, vt sordes omnes, quibus eas, procul omni dubio, pollutas deprehendet, non aqua, sed præcioso filij Dei sanguine abluat, Abijciat peccandi propositum, & studeat in posterum, ab omni se peccato, mundum conseruare, vt ad mandatum Pauli, 1. Timoth: 2. puras manus oraturus leuare poßit, non pollutas, scilicet malo proposito. Quod nisi fiat, irritæ erunt omnes nostræ preces, frustranea erit omnis nostra inuocatio. Firmum enim & immotum stabit illud. Ioh: 9. Peccatores Deus non exaudit, scilicet, non seriò resipiscentes. Qui autem vera resipiscentia, Oraturi ad Deum accedunt, eorum preces, non in auram euanescent,

sed cœlos penetrabunt, nec discedent, donec Altißimus aßpiciat, Eccli: 35. Quemadmodum in secunda doctrina, Deo volente, dicetur.

DE SECVNDA DOCTRINA

NOn parum fatigat inuocantium animos, cogitatio de Indignitate & Particularitate, quæ statuit Deum, longè quasi à nobis abesse, ideoq; preces nostras nequaquam exaudire. Hinc sunt crebræ istæ in Psalmis querelæ, precationibus mixtæ: Vt quid Domine receßisti longè, occultas te in tempore tribulationis. Psal: 10. Et Psal: 38. Ne derelinquas me Domine, Deus meus, ne discesseris à me.

Huic cogitationi, opponendæ sunt dulcißimæ Promißiones quas hîc recitat

Dauid. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, &c. Neminem enim à se repellit Deus, sed est omnibus, qui eum inuocant exorabilis: Idem est Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se Rom: 10.

Quid autem quæso cogitari potest dulcius, quàm Deum non solùm non procul à nobis abesse, Sed etiam prope nobis adesse, ac ita quidem prope, vt etiam nobiscum habitet, quemadmodum inquit Esa: 57. Dominus habitat cum contrito & humili spiritu. Hæc est illa piorum propria & plena consolationis gloriatio, quam recitat Moses Deut: 4. Quæ gens est tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster, præstò est, quoties eum inuocamus?

Neq

Neq; verò frustrà Deus nobis adest, veluti surdus, aut ociosus aliquis spectator, Sed preces nostras verè exaudit, seq; exorari sinit, ita vt clementer nos liberet, inq; suam nos tutelam recipiat, sicuti hîc dicitur: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se.* Exempla paßim sunt obuia, *Abrahæ* deprecantis pro Sodomis Gen: 18. Loth, pro Segor, Gen: 19. Et de Iosua dicitur, cap: 10. Dominum obediuisse voci hominis, & ad eius preces, Solis currus volantes inhibuisse. Sic cedit natura rerum precibus Mosis, Eliæ, Elisei & omnium piorum. Nota etiam est promißio Christi apud Matth: 21. *Omnia quæ petieritis credentes accipietis, &c.*

Verùm hîc quæstio oritur, qua non leuiter pij sæpius exercentur. Videmus

ſæpe non dari ea bona, quæ nos petimus, ſæpe etiam differri liberationem: Quomodo igitur ſibi conſtabunt hæ Promiſsiones: Voluntatem timentium ſe faciet, Deprecationem eorum exaudiet, & ſeruabit eos?

Hic Primùm cogitanda eſt cauſa, cur Deus bona corporalia (Spiritualia enim ſemper, ſine vlla exceptione, dantur fide petentibus) quæ petimus, non ſemper ad noſtram voluntatem largiatur, nimirum quia nobis minus ſunt ſalutaria. Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, Rom: 8. Vnde Auguſtinus, ſæpe Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem. Fideliter enim ſupplicans Deo, vt idem ait, pro neceſcitatibus huius vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit vtile, magis nouit medicus quam ægrotus. Nec diſsimilis

eſt illa Bernhardi ſententia: *Fratres nolite dubitare de oratione veſtra: Sed ſcitote, quando verbum per os erumpit, tunc oratio veſtra ſcripta eſt in oculis Dei, & aut fiet quod petitur, aut expedit non fieri.*

Deinde cogitanda eſt etiam cauſa, cur Deus interdum liberationem differat, nec ſtatim deprecantes exaudiat, nimirum vt ea mora ac dilatione, ardentiorem fidem atq; inuocationem in pijs excitet, quæ omnino langueſcerent, ſi quod vellent homines, ſtatim impetrarent. Vnde Auguſtinus: *Si non dat ad horam, exercet quærentem, & non contemnit petentem.* Exemplo ſunt Iſraelitæ, qui poſt 215. annorum grauiſſimam ſeruitutem Ægyptiacam, glorioſè tandem liberantur. Deinde in deſerto annis 40. vagantur, antequam terram promiſſam ingredi liceat. Et Ioſeph poſt tredecim annorum ſeruitu-

tem & carcerem, ad summos honores euehitur, vt omnino verum sit illud Psalmistæ: *Quoniam desiderat me, liberabo eum, &c. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, Eripiam eum, & glorificabo eum,* Psal: 91.

In has Promißiones & Exempla, in precationibus nostris intueamur, ijsq́ animos nostros vacillantes confirmemus; ne quid de diuino præsidio, in nostris ærumnis & calamitatibus dubitemus: Sed vt in omnibus nostris necesßitatibus, ad Deum, tanquam præsentem opitulatorem, ardenti inuocatione confugiamus, certò statuentes, preces nostras, quas secundum eius voluntatem fundimus, benignè eum exauditurum, 1. Ioh: 5. *nosq́ à præsentibus ac imminentibus malis clementer liberaturum.*

Quod

Quod si secus interdum Deus agere videatur, dum pios nunc à Tyrannis, nunc mille alijs modis miserè opprimi sinat, sicuti omnium temporum historia testatur, cogitemus Deum in corporalibus istis pœnis seu afflictionibus, multos ab æterno interitu liberare, ac pijs vitam & salutem æternam reddere, dum interim impios, etiamsi aliquantisper in hac vita floreant, opibus, dignitate & potentia, tandem seuerè puniat, disperdat ac funditus deleat, vt exigui temporis fœlicitatem, cum æternis cruciatibus commutent.

DE TERTIA DOCTRINA.

DAuid cogitans singularem Dei bonitatem, clementiam, & quod omnium maximum est, summam illam erga mise-

ros homines φιλανθρωπίαν, quòd omnibus inuocantibus ipsum, præsens opitulator adesse velit, non solùm ipse gratias agit Deo, verùm etiam omnes homines, ad hunc cultum Deo præstandum hortatur.

Cùm autem & nos, haud minorem Dei bonitatem atq; clementiam experti simus, qui ingentibus à Deo beneficijs, quotidiè adhuc affatim cumulamur: decet vt Dauidis exemplo, gratuita Dei beneficia, grata mente recolentes, non solùm nos ipsos, verum etiam alios omnes, ad meritas gratias, pro acceptis beneficijs Deo agendas, omni studio exuscitemus.

Imprimis itaq; seriò nobis cogitandum est, summum hoc ac maximum Dei beneficium, quòd per selecta eius organa, Dn: Lutherum & Philippum, beatissimæ memoriæ, eorumq; συνεργοὺς & collegas alios,

alios, viros omni laude maiores, veræ Religionis doctrinam, detectis erroribus, quibus veluti densissimis ac verè Cimmerijs tenebris, miserè antea sepulta erat, etiam in his Regnis boreis, ante annos plus minus quinquaginta, repurgare, veramq́ Euangelij sui lucem, in ijs accendere voluerit, quam hactenus, nullis controuersijs aut dissensionibus obscuratam, puram & integram conseruauit.

Concessit toto hoc tempore, Ecclesiæ suæ in hisce Regnis tranquilla hospitia, ac veluti Halcyonia, vt essent hæc Regna, præ alijs multis, quasi nidulus aliquis, in quem veræ Ecclesiæ alumni sese reciperent, in quo fouerentur, & ab ingruentium tempestatum sæuitia, tuti conseruarentur.

Hoc Dei beneficium, quod cætera omnia facilè superat, grata semper memoria prædicemus, Deumq́ toto pectore

oremus,

oremus, deinceps quoq; Ecclesiam suam in his Regnis verbo suo colligere, & à Diaboli insidijs, omniumq; hostium insultibus, clementer conseruare velit, vt Dei beneficio, veram de Deo doctrinam, nulla opinionum diuersitate deformatam, puram & integram, veluti per manus, ad posteros nostros transmittamus.

Cogitemus deinde etiam hoc singulare Dei beneficium, quòd Regem tam pium atq; clementem nobis donarit, optimi parentis optimum filium, cui nihil antiquius est, quàm vt veræ Religionis doctrina, purè & syncerè, in nostris Ecclesijs doceatur, absq; vllis dissidijs ac inutilibus contentionibus, quibus Ecclesiarum tranquillitatem atq; concordiam, miseris modis, non sine graui Religionis iactura, omniumq; piorum summo dolore, hodie passim turbari videmus.

Neq;

Neq; verò doctrina ſolùm ei cordi eſt, verùm etiam diſcentes ac docentes in Eccleſijs & Scholis, quibus ampliſsimis ſtipendijs liberaliter proſpectum cupit, vt habeant vnde ſinguli, pro ſua quiſq; conditione, honeſtè viuant.

Pro hoc ſingulari Dei beneficio, gratias agamus Deo, Eumq; intimis pectoris noſtri gemitibus ardenter ac ſeriò precemur, eius Maieſtatem, in tantis motibus, omniumq; hoc periculoſiſsimo tempore, Spiritu ſuo ſancto regere ac gubernare velit, vt ei in vera fide atq; timore, toto corde adhærere: Ad Dei voluntatem & gloriam, omnium ordinum, & imprimis miſerorum ſubditorum emolumentum & commodum, Deniq; ad publicam vtilitatem & ſalutem, omnes ſuas actiones & conſilia, ac totius gubernationis ſuæ ſcopum dirigere, Et in tanto malorum concurſu, in tam pio propoſito, conſtanter perſe-

perseuerare poßit, ne vel ad dextram vel sinistram, à Diabolo, aut eius ministris, malis hominibus, propriisue cupiditatibus impulsus, à scopo illo & meta deflectat aut aberret.

Cogitemus singularem Dei benedictionem, in Regia progenie augenda. Et oremus Deum, Illustrißimam Reginam, Iuniorem Principem, cæterosq́ liberos Regios, quàm diutißimè florentes atq; incolumes, spiritu & corpore conseruare dignetur.

Agamus etiam Deo gratias qui Senatum tam pium atq; prudentem, in hoc tam turbulento rerum omnium statu, Serenißimo Regi nostro adiunxit. Deumq́ ardentibus votis precemur, vt omnia eorum consilia atq; conatus, in sui nominis gloriam, Ecclesiæ & Scholarum in vera concordia conseruationem, ac horum

Regno-

Regnorum diuturnam, piam, tranquillam atq; ſalutarem gubernationem dirigere velit.

Poſtremò cogitemus ingens hoc Dei beneficium, quòd belli tumultibus ſedatis, alijſq; difficultatibus grauiſsimis ſuperatis, pacem atq; tranquillitatem hiſce Regnis, atq; Ducatibus aliquot nunc annis conceſſerit, Deumq; veris gemitibus oremus, ne propter noſtra peccata, pacem hanc atq; tranqullitatem turbari ſinat, verùm diuturnam illam nobis, noſtriſq; poſteris conſeruare, Et miſeræ Eccleſiæ ſuæ, in exteris Regionibus, tot diſsidijs atq; contentionibus afflictæ & turbatæ, piam ac ſalutarem pacem atq; concordiam reſtituere, furentis Diaboli rabiem atq; ſæuitiam cohibere, & nos omnes vaſa miſericordiæ facere velit, vt in vero

Dei

Dei timore, mutuaq́ ac ſyncera dile-
ctione coaleſcentes, vnum ſimus in
Chriſto Ieſu, qui eſt cum Patre &
Spiritu ſancto vnus Deus, bene-
dictus in æterna ſe-
cula,

AMEN.



ORDI-

ORDINATIO PRECATIONVM, EPI-stolarum & Euangeliorum, quæ singulis diebus recitabuntur.

PRIMÆ DIEI PRECATIO siue COLLECTA.

O EVige oc Barmhiertige Gud / du som aff din Faderlige godhed / est saa Naadig oc Langmodig/ til at offuerbære met oss arme Syndere/ paa det wi icke hastelige skul-

le ødeleggis / Men komme til en sand oc aluorlig Penitentz: Wi bede dig ydmygeligen / du vilt forlade oss alle vore Synder / oc begaffue oss met din hellig Aand / at wi rettelige kunde omuendis til dig / oc rette oc bedre vort syndige Leffnet / at wi maa vndgaa all den Straff / som din retfærdige Vredis Tegn truer oss met / for vore Synder / ved din Elskelige Søn Jesum Christum vor HErre / som met dig leffuer oc regnerer i hellig Aands enig-

enighed / en sand Gud fra Euighed oc til Euighed / A M E N.



EPISTOLA, 2. Pet: 3.

Initium: *Vnum verò hoc non lateat vos &c.*

Finis: *Sed omnes ad Pœnitentiam reuerti.*

EVANG: Lucæ 13.

Aderant quidam eodem tempore, &c.



Collecta.

O Almectigste Euige GUD / Wi arme Menniske / Bekiende vorismangfoldige Synder / udi huilcke / wi her til/ haffuer faret hen udi / foruden nogen din retfærdige Vredis fryct / huilcket wi nu aff vort gantske Hierte / aluorlige angre oc fortryde. Wi bede dig ydmygeligen / O Naadige Fader / du vilt icke straffe oss / effter vore Misgierninger / Men den-

nem naadeligen affslatte oc tilgiffue: Du vilt regere oss met din Hellig Aand / at wi kunde offuergiffue Synden / oc vdi all ting / skicke oss effter din Vilie / oc saa endelige met dig bliffue salige / ved din Elskelige Søn JEsum Christum vor Herre / Amen.

LOCO EPIST: Ierem: 8.
Nunquid qui cadit non resurget? &c.

EVANG: Matth: 3.

Initium: *Videns autem multos Pharisæorum, &c.*

Finis: *Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur.*

Collecta.

O BARmhiertige oc Naadefulde Gud / du som haffuer loff-uit / at ville naadelige bønhøre alle dennem / som met en aluorlig oc tro Bøn kalde paa dig: Wi arme Menniske / bekiende vor store Wfuldkommenhed / at wi icke rettelige kunde bede som wi skulde: Derfor bede wi dig / O Naadige Fader / du vilt opuecke den rette Naade Aand / oc Bøne Aand vdi

voris Hierter / at wi vdi all vor anliggende Nød oc Trang / kunde rettelige bede oc paakalde dig / oc intet tuile paa / at du io effter din naadige Løffte oc Forjættelse / vilt visselige bønhøre oss / at wi maa finde din Faderlige Hielp / oc formedelst din Guddommelige Beskyttelse / Naadelige befries / fra alt det oss kand vere skadeligt / baade til Liff oc Siæl / Formedelst din Elskelige Søn / Jesum Christum vor HErre / Amen.

LOCO EPIST: Psal. 145.

Prope est Dominus, &c.

EVANG: Ioh: 4.

Initium: Patres nostri in monte hoc adorauerunt, &c.

Finis: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate.



PRE-

PRECATIO
SINGVLIS DIEBVS
è suggestu recitanda.

O DV Naadefulde/ Barmhiertige oc Langmodige Gud/ du som nu igien haffuer optendt offuer oss/ den forskreckelige COMET, din retfærdige Vredis Rijss / oc der hoss / haffuer saa hastelige ladet komme den vseduanlige Stuge iblant alle Menniske / huor met du aff din Faderlige Naade oc Taal-

 mo-

modighed / endnu vilt kal-
de oss til en sand oc aluor-
lig Penitentz / at wi vdi ti-
de / kunde vndgaa din ret-
færdige Vredis store Heffn
oc Straff / som du met saa-
danne din Vredis tegn tru-
er oss met: Wi arme Men-
niske / aff Hiertet bekiende
vore mangfoldige Synder /
met huilcke wi haffue for-
tørnet dig / oc opuact din
retfærdige Straff offuer oss:
Wi bede dig ydmygeligen /
O Naadige Fader / du vilt
icke see til vore Synders
mang-

mangfoldighed / Men til din store Naade oc Barmhiertighed / oc for din Søns vor HERRIS JEsu Christi skyld / naadelige forlade oss alle vore Synder / oc icke straffe oss i din Vrede / Men met Naade oc Barmhiertighed / paa det wi icke endelige skulle ødeleggis / Du vilt effter din naadige Foriættelse / vere hoss oss met din Faderlige Hielp / oc naadelige bønhøre oss / i all vor anliggende Nød oc Trang / Du vilt beuare oss dit helli-

ge

ge oc salige Ord / fra all Menniskelig vildfarelse / Oc giffue dennem alle / som skal predicke oc lære / i Kircker oc Scholer / En god oc christelig Enighed oc Sambdrectighed / Du vilt oc naadeligе beuare / vorts Naadige Herre oc Konge / Kong Frederich / met hans N: Høyborne Førstinde / Dronning Sophia / den vnge Herre / oc de andre deris Elskelige Børn / met alle andre deris kiere Suogre / Slect oc Foruante / Du vilt beuare all

Dan-

Danmarckis Rigis Raad oc Adel/met all anden Christen Offrighed / Du vilt giffue voris Naadige Herre oc Konge/ it languarinde/ lycksaligt oc fredsommeligt Regimente / Du vilt naadelige affuende fra disse Land oc Riger/ Krig oc Orloff/ Pestilentz oc Dyr tid / oc alle andre Plager / voris velfortiente straff / Du vilt naadelige beuare oss / i din Guddommelige Beskyttelse oc Beskermelse / fra all Vaade oc Fare / baade Legemlig oc

Aan-

Aandelig / at wi altid maa tacke / ære / prise oc loffue dig / som en Naadig oc Barmhiertig Gud oc Fader / ved din Eniste Elskelige oc Enbaarne Søn / JEsum Christum vor HERRE /

AMEN.



HAFNIÆ
EXCUDEBAT
ANDREAS GUT-
terwitz.



ANNO

M. D. LXXXI.